

Yd
5856





n. 1776b.

Off. Lubaria

Yd
5856

LXXXIII.

Q E V

Ad

ACTVM VALEDICTORIVM

Quo

post CXCIX. Alumnos, intra tre-
decim Recturae meae *Schleusingeris* annos
in Academiam hinc digressos,

ad eandem

sublimiorum artium mercaturam

ablegabuntur



I
GEORGIVS CHRISTIANVS

Schade / Kundorfensis,

Alumnus frugi & filius haud degener
natuque minimus venerandi Senis, Dn. Pasto-
ris in *Kühndorff* / introductus in Gymnasium
d. 16. Martii A. 1702., & nunc, ob doctrinae
Scholasticae studia, Ipso **ILL. CONSISTORIO**,
quod *Schleusingae* est, annuente,
in pace abiturus,

qui vero,
occasione ex *Nouellis* accepta,
de *Cosaccis*

stylo soluto Latino & loco vltimi Vale
perorabit;

II.

IO. CHRISTIANVS

*Müller /
Meiningensis,*

Alumnus **DVCALIS** mensae com-
munis & Auditor noster a d. 23. Ian. A. 1706.,
modesti & studiosissimi Discipuli officio fun-
ctus, & ab **ILL. CONSISTORIO**, quod
Meiningae est, examinatus,

qui
Oratione profusa Latina in Fortunam **DVCIS**
EVGENII commentari cona-
bitur:

MAGN. III.
IMMANVEL FRIDERICVS

Sauerbrey / Schleusingenſis,

Adoleſcens haud vulgari ingenio & profectu,
introduc-tus d. 9. Apr. A. 1695.,

qui

impetrata ab eodem ILL. CONSISTORIO
SCHLEVSINGENSI diſcedendi venia, de *Poſtumis*,
ipſe poſt humationem Parentis ſui natus, comto ſer-
mone Latino, ſed verbis Graecis & Euchariſtia
Latina metrica conueſtito, diſſeret;

LIBRI MEMORIALIS ILL. IV.

CAROLVS CHRISTIANVS Slett/

Schleusingenſis,

Iuuenis optimae ſpei & indolis, introduc-tus
A. 1694., vere ineunte, & a ſemel atque iterum dicto
CONSISTORIO ILL. SILVSIACO Academiae
ſtudiis idoneus deprehenſus,

qui

Oratione Latina haud inculta, & verbis
pariter Graecis diſtin-cta,

Iconogeneſiam ſubterranean Hennebergicam

ob oculos ponet, & Euchariſtiam verſu

Latino addet:

V.

IO. PAVLVS Herlein / Schleusingenſis,

Alumnus non deſes inde a d. 23. Apr. A. 1693.,

qui,

indulgente iterum ac tertio dicto CONSISTO-
RIO ILLVSTRISSIMO, Patronis & Praeceptoribus,
vt morie diu fuit, gratias aget, & hoc vltimo officii

SCHLEVSINGAM LITERATAM,

qua par est, obseruantia & humanitate,

ad d. XVI. Apr. A. 1709.

in
Auditorium Gymnasii supremum
aduoco,
loco programmativis

**LIBRI MEMORIALIS ILL.
GYMNASII SAXO-HENNEB.,**

Vitas illorum, qui *Schleusingae* inde ab ortu
Gymnasii studiis liberalibus operati sunt,
summatim exhibentis,

RECENSIONEM I.

offerens,

&
Ciuihus DEO Auspice discessum.
meditantibus iter felix & quicquid e re
Ipsorum esse poterit, apprecans

**M. GODOFREDVS
LVDOVICI, R.**

Schleusingae, literis G. W. GOEBELII, Ill. Gymn. Typogr.

PRAEFATIO
LIBRI MEMORIALIS
ILL. GYMNASII SAXO-
HENNEBERGICI,

Vitas illorum, qui *Schleusingae* inde ab ortu
Gymnasii studiis liberalibus operati
sunt,
summatim exhibentis,

in RECENSIONES PVBlicas
distribuci.

Ortum iam habuit Illustre Gymna-
sium *Schleusingense* Anno numeri
minoris post mille, quingentos, se-
ptuagesimo septimo, viuo adhuc Principe &
Comite *Hennebergiae*, GEORGIO ERNE-
STO, qui Sator & Stator *Musarum* nostra-
rum fuit, aequissimaque recordatione cele-
bratur identidem; & ex antiquo hoc disci-
plinæ rectoris domicilio Viros semper produisse
Ecclesiae & *Rei* omni publicae fructuosissimos,
quo exploratius est, hoc minor, per nume-
rum recenseri illos posse, spes alios teneat & ex-
pectatio. Quemadmodum autem propter

A

hanc

hanc dubitationem voluntas ejusmodi memo-
rias adseruandi non abiici debet statim, &
strenue inchoanti subsidio venire solent, qui
possunt: ita plane confido, fore, ut haec
quoque principia parua progressionibus suis
usa augeantur, praecipua saltem, labore meo
& aliorum ope, quam mihi ferendam ex-
peto, detexatur series. Et à Deo diligen-
tissime contendo, ut IS sub SERENISSIMIS
NVRITRIBVS, DVCIBVS SAXO-
NIAE, de salute nostra & perpetuitate miri-
fice sollicitis, perdurare iubeat Gymnasium
Illustre, ortu admodum antiquo, conser-
uatione in ipsis periculis & temporibus aspe-
ris propitia, publicisque utilitatibus
commendatissimum &
celebre.



I. N. I.



I. N. I.

RECENSIO I.

Besser *M. Sebastian*, *Pastor & Superintendentens Sublanus*, in vitam hanc introiit Rohrae in Hennebergia d. 21. Jun. A. 1581. Meininga missus est in Gymnasium Schleusingense A. 1580., & Schleusinga in Academiam Lipsiensem A. 605., constitutus fuit Hypo-Diaconus Schleusingensis A. 1610., & eodem anno Archi-Diaconus. A. 1620. Pastor & Decanus Suhlae, A. 1632. ibidem Superintendentens, decessitque de vita d. 26. Aug. A. 1638.

Brunner Hieronymus, *Philosophiae Magister & Iuris viri usque Doctorandus*, natus Schleusingae A. 1610. d. 8. Martii, Lipsiam se contulit A. 1627., vbi & Magisteriali lauru est ornatus, A. 1631. Ienam abiit, Ienaëque ex Theologia & Philosophia disputavit, Collegia ipse aperuit & ex hominum vita demigravit d. 24. Septembr. A. 1633.

A 2

Corui-

Corvinus Andreas, Iuris utriusque Licentiatus, Oratoriae & Latinae Linguae in Academia Lipsiensi Professor, Facultatis Philosophicae Assessor & maioris PP. Collegii Collegiatus, natus VVestfeldae in Franconia d. 7. Octobr. A. 1589., missus est Schleusingam in Gymnasium A. 1598., vbi anno aetatis 13. in primam ascendit Classsem, A. 1608. in Academiam Lipsiensem se contulit, A. 1612. iter adiit ad gentes exteras, ex quo cum Lipsiam reuertisset, A. 1616. Magister est creatus, A. 1617. Notarius publicus, A. 1618. Assessor Facultatis Philosophicae, A. 1620. Professor Oratoriae, A. 1621. maioris PP. Collegii Collegiatus, A. 1640. Iuris Licentiatus & A. 1644. Professor quoque Latinae Linguae. De vita tandem exiit d. 11. Ian. A. 1648.

Corvinus VVolfgangus, Medicinae Licentiatus, primum Dialecticae, post Physicae Professor Lipsiae, Collegii Minoris Pp. Collegiatus & Academiae Decemvir, natus VVestfeldae A. 1563. Lipsiam, e Gymnasio Schleusingensi abiit A. 1583. & supremum ibi obiit diem exeunte Anno 1614.

Crusius M. Paulus, Mulfeldensis Hennebergicus, Guilhelmitanae apud Argentoratenses Ecclesiae Diaconus & Collegii Stephanaei Canonicus, natus fuit A. C. 1557. mensè Iulio, & denatus A. C. 1609. d. 22. Iun. Filium habuit Io. Paulum Crusium, in Academia Argentoratensi Professorem.

Dillherr M. Io. Michael, Norimbergae ad D. Sebaldi Antistes, Gymnasii Aegidiani Director in que eodem

*dem Theologiae & Philosophiae Professor, Alumno-
rum Inspector & Reip. Bibliothecarius, Themara,*
vbi d. 14. Octobr. A. 1604. in hanc susceptus
est lucem, in Gymnasium Schleusingense,
A. 1617. est ablegatus, A. 1623. e Gymnasio Li-
psiam se contulit, post VVittebergam, iterum
Lipsiam, Altdorfium porro, & tandem Ie-
nam. Ienae A. 1631. constitutus est Professor
Eloquentiae, A. 1634. simul Historiarum &
Poëseos Professor, Annoque 1640. Professor
etiam Theologiae extraordinarius. A. C. 1642.
Norimbergam vocatus est ad obeunda mu-
nera ante dicta, & d. 8. Apr. A. C. 1669. ibi
obiit.

*Eberhart M. Christianus, Historiarum & Poë-
seos in Academia Iulia Professor, natus in Kaltens
Nordheim A. 1619., abit in Academiam e Gy-
mnasio Schleusingensi A. 1637., fit Professor
A. 1665. & moritur d. 25. Apr. A. 1678.*

*Fischer Samuel, S. Theologiae D., Prof. P. Pastor
& Superintendens Ienensis, natus A. C. 1547. d. 25.
Nov. in Valle Ioachimica, e Schola patria
Schleusingam missus est, & Schleusinga VVitte-
tebergam. Smalcaldiae primum fit Scholae
Collaborator, Cantor & Diaconus, post Dia-
conus Schleusingensis, & ex Diacono BOP-
PONIS, Comitibus Henneb. Ecclesiastes Auli-
cus in Burgbreitungen; porro Schneebergae
agebat Pastorem, tum Olsnitii Superinten-
dentem, & A. 1583. Misenenfi Ecclesiae re-
gendae*

gendae præficietur, atque cum Sacramentariorum instinctu A. 1588. officio fuisset motus, Schlacovvaldæ Caesareae Pastor fuit aliquandiu. Tandem d. 15. Nov. A. 1589. Ienae Doctor creatus est, anno post Theologiae ibidem declaratus fuit Professor, Pastor & Superintendens, & A. 1600. d. 23. Jun. suam efflavit animam.

Somann Ortolphus, Senior, I. V. D., Consiliarius Saxonicus, Ienae Ordinarius, Curiae Provincialis & Scabinatus Senior & Professor publicus, natus est Schleusingae d. 23. Ian. A. 1560. & ex Gymnasio patrio Ienam missus A. 1580., vbi A. 1582. renunciabatur Magister, & A. 1588. Facultatis Philosophicæ Adiunctus. A. 1589. Professor Philosophiæ & Stipendiatorum Ducalium Inspector, A. 1595. Doctor Iuris, A. 1599. Professor Iuris, paullo post Curiae provincialis & Scabinatus Assessor, porro A. 1607. Senior & Ordinarius & Assessor Consistorii Ecclesiastici SAXONICI designatus fuit. Vitam tandem finiit d. 19. Maii A. C. 1634.

Friederich M. Iohannes, Linguarum & Historiæ Professor Lipsiæ, Academiae Decemvir, Maioris Principum Collegii Collegiatus & Scholæ Nicolaitanæ Rector, natus fuit A. 1563. d. 7. Octobr. in Franciæ orientalis pago Wolffshausen / Schleusingam concessit A. 1574., Lipsiam A. 1582., vbi A. 1585. Magister creabatur, A. 1589. Assessor Facultatis, & A. 1592. ConRector Thomanus.

manus. A. 1594. Rector Scholae Annaeber-
genfis factus est, A. 1595. Lipsiae Oratoriae,
Professor; A. 1599. Professor Physices, A. 1607.
Academiae DecemVir, paullo post Collegia-
tus quoque, & Paedagogii Nicolaitani Re-
ctor, nec non vtriusque Linguae & Historia-
rum Professor. E medio abiit d. 9. Dec. A. 1629.

Glümper M. Wendelinus, Pastor & Decanus
in Illmenau, natus Meiningae d. 19. Mart.
A. 1589., missus est in Gymnasium Schleu-
singense A. 1604., & A. 1610. in Academiam
Lipsiensem, post in Ienensem, & tandem
Vitebergensem, quae A. 1613. Iauru ipsum
donavit Philosophica. A. 1615. d. 25. Martii
constitutus est Gymnasii dicti Collega Infi-
mus, A. 1617. Pastor VValdauiensis, A. 1620.
Archi-Diaconus Schleusingenfis, & A. 1632.
Pastor & Decanus Ilmenoitanus. Mortuus
est d. 5. Martii A. 1654.

Göllner Kilian, natus Schleusingae A. 1605.,
Argentoratum A. 1625. studio Iuris operaturus
abiit, post Ducis Mutinensis constituebatur Se-
cretarius & Centurio, ipsumque in obsidione
Vercellensi A. 1638. vitalis liquit calor.

Grauius Iohannes, P. L. C. & primus Gymnasii
Aegidiani restaurati Norimbergae Rector, natus
Marisfeldiae d. 9. Dec. A. 1595., ex Themarenfi
Schola in Schleusingenfem Gymnasium intro-
ductus fuit d. 8. Ian. A. 1607. & A. 1616. Noriber-
gam ad Paulum Heigelium, vt huius erudiret

liberos; A. 1619. Altdorfum concessit, & A. 1620. VVittebergam: VVitteberga Noribergam reversus A. 1624., heic Scholae tunc privatae primùm Tertiae post Secundae & demum Primae Cl. factus est Praeceptor, & cum Gymnasium Aegidianum reficere placuisset SENATVI INCLVTO, primus Gymnasii restaurati Rector constitutus est Gravius A. 1633. Vita excessit d. 31. Maii. A. 1634.

Grumbach *M. Iohannes, Archi-Diaconus Meiningensis & designatus Pastor*, natus A. 1561. d. 3. Maii, VVidersbaci in agro Schleusingensi, Schleusingae frequentare coepit Magistrorum lectiones A. 1572. d. 24. Febr., decennio post A. 1582. d. 31. Iul. Lipsiam ablegabatur, A. 1585. VVittebergae Magister creatus est, & Conrektor Gymnasii Schleusingensis constitutus A. 1586., Archi-Diaconus Meiningensis A. 1591. d. 15. Aug., & A. 1604. d. 12. Iun. vitam cum morte commutavit, cum aliquanto ante, d. 29. Mart. e. a. Meiningensis designatus fuisset Pastor.

Günther *M. Christoph, Archi Diaconus Sublanus*, natus A. C. 1625. d. 24. Febr. Schleusingae, Gymnasii disciplinae traditus est A. 1631. & ex ista A. 1645. in Academiam Ienensem abiit, in qua & A. 1649. Magister fuit renunciatus: A. 1651. Ludi Themarensis Moderator factus est, A. 1656. Hypo-Diaconus Sublanus, & A. 1680. Archidiaconus. Mortuus est A. 1690. d. 15. Iun.

Gürh

fio profectus A. 1606. d. 13. Apr. Conrector
Gymnafii Merfeburgenfis fuit ab A. 1611. &
Rector ab A. 1617. , fatoque fungebatur A.
1646.

Jrzig *Iohannes*, *Philof. & Med. D. in Academia
Lipfienfi*, *Physicae Professor publicus*, *Facultatis Phi-
lofophicae & Collegii Min. Pp. Senior*, & *Academi-
ae DecemVir*, in vitam introiit Schleufingae
d. 8. Oct. A. 1607. e Gymnafio Patrio in Aca-
demiā Ienenfem abiit A. 1626. &, Ienae cum
triennio vixiffet, in Lipfienfem, vbi delectus eft
Philofophiae Baccalaureus A. 1630. , A. 1631.
Magifter, A. 1638. Medicinae Licentiatus, Min.
Pp. Collegii Collegiatus & Organi Ariftotelici
Professor, A. 1641. Doctor Medicinae, A. 1651.
Professor Phyficae & A. 1659. DecemVir. Ob-
iit Lipfiae d. 21. Iul. A. 1676.

Iunius *Heinricus*, *Iuris viriusque Candidatus &
Philofophiae Magifter*, natus fuit Suhlae A. C.
1580. , e Schola patria in Schleufingense Gy-
mnafium ablegatus A. 1596. ex Gymnafio Li-
pfiam A. 1600. , ibidemque animam expira-
vit d. 6. Maii. A. 1607.

Refler *Iohannes*, *Pastor in Neurith & Beiners
ftädt*, natus Themarae d. 19. Ian. A. 1570. ,
miffus eft Schleufingam in Gymnafium A.
1583. & A. 1590. in Academiam Helmftadien-
fem, Helmftadio Lipfiam A. 1598. Rector,
factus eft Scholae Meiningenfis A. 1600. , pōft
Diaconus & Archi-Diaconus Suhlanus, A.
1606. Pastor Stepfershufanus & A. 1623. Reu-
rithenfis.

rithensis. Die tandem 30. Sept. A. 1632., cum Croatae spoliatum venissent ditionem Saxo-Hennebergicam, hostili ferro & cruenta morte est extinctus.

Kesler *M. Andreas*, natus Suhlæ A. 1605. d. 9. Jan., Themara ex ludo A. 1620. missus est in Gymnasium Schleusingensē & Ann. 1626. in Academiam Jenensē, A. 1630. in Lipsiensem, vbi anno insequente lauru Magisterii donabatur. Idem a Croatis eodem d. 30. Sept. immisericorditer tractatus, paulo post d. 8. Oct. A. 1632. istorum scelere discessit.

Koch *Michael*, Norinbergensis, *Pastor zum Wilden-Hayn prope Torgauiam*, e Gymnasio Schleusingensi in Academiam abiit A. 1658. & ex hominum vita demigravit A. 1703. natus annos 65.

Koch *M. Vitus*, *Archi-Diaconus Meiningensis*, natus d. 22. Jan. A. 1620. Suhlæ, A. 1632. missus est in Gymnasium & hinc A. 1639. in Academiam Jenensē, vbi A. 1645. Magister creabatur. *Pastor* fuit in Goldlauter ab A. 1645. in Elingshausen ab A. 1651., *Hypo-Diaconus* Meiningensis ab A. 1662., & elapso sexennio *Archi-Diaconus*, mortuusque est d. 11. Iun. A. 1690.

Rühn *M. Iobannes*, Schleusingensis, *Matheseos Professor in Academia Lipsiensi*, e Gymnasio patrio Lipsiam abiit A. 1640., creatus est Magister A. 1645., & mortuus d. 20. Mart. A. 1676. natus annos 57.

Mergi-

Mergiletus *Andreas Senior, Poeta Laureatus*, natus Melrichstadii A. 1537. d. 17. Decembr. in Schleusingensem scholam itare coepit A. 1556., Jenam concessit A. 1561., Collega Scholae Schleusingensis factus est A. 1563., Pastor Beringensis A. 1565., Pastor in Nieder-Lauver A. 1568., eiectus hinc in exilium A. 1589., Pastor Muhlfeldensis vocabatur A. 1590., & diem obiit supremum d. 21. Mart. A. 1606.

Möller Caspar Thomas, Rectoris Schleusingensis Gymnasii primi, VVolfgangi Molleri, Nepos, natus Meiningae A. 1602. d. 2. Ian., missus est in Gymnasium Schleusingense A. 1617., A. 1622. in Academiam Lipsiensem & A. 1625. in Inensem. A. 1627. constitutus est Pastor in Mannsbach in Abbatia Fuldensi, A. 1628. pulsus in exilium, A. 1629. vocatus fuit ad Pastoratum Sulzensen, A. 1640. ad Belrithanum, & A. 1644. ad Archi-Diaconatum Meiningam. Mortuus est A. 1653. d. 26. Iun.

Müller M. Iohannes, Ecclesiastes vespertinus Lipsiae ad D. Nicolai, natus Themarae d. 20. Mart. A. 1589., Themara Schleusingam venit A. 1604., Schleusinga Lipsiam A. 1610. & Lipsia VVittebergam, vbi A. 619. Magistri lauru donabatur. A. 1621. Glogauiam in Silesiam vocatus est, vt esset Diaconus, A. 1628. exilio affectus Dresdam perfugit, A. 1632. Pastor fit in Sandersdorff prope Bitterfeldam A. 1639. Lipsiae Diac. Nicolaitanus, A. 1643. Ecclesiastes eiusdem Aedis vespertinus. Obiit Lipsiae A. 1649. d. 19. Mart.

Munck

Munck Io. Paulus, Meiningensis, Rector Lycei patrii & Inspector, natus A. 1639. d. 22. Febr. e Gymnasio Schleusingensi in Academiam profectus est A. 1659. A. 1667., dictum Lyceum moderari coepit, isti que postquam per 38. annos cum dignitate Rectoris & Inspectoris praefuisset, e vita emigravit A. 1705. d. 22. Nov.

de Nankenreith Philipp. Albertus, Haereditarius in Schräk, familiae huius ut antiquissimae, ita laudatissimae postremus, natus d. 1. Oct. A. 1605, Schleusingae, vbi studiorum gratia inde a 14. Mart. A. 1613. versari coeperat, lethali variolorum vehementia d. 9. Nov. a. e. extinctus est & in templo oppidano tumulatus; galea autem & Generis insignia antiquata simul sunt & humata. Es ist mit ihm der ganze Stamm abgestorben / Schild und Helm zerbrochen / und zu dem Körper ins Grab in der Schleusingischen Stadt-Kirchen geworffen worden.

Piscator Petrus, S. Theol. Doctor & Professor Ienensis Theologiae nec non Hebraearum Literarum, in lucem editus Hanouiae d. 7. Apr. A. 1571., Schleusingam venit A. 1587. & A. 1590. Marpurgum est profectus, Anno vero 1591. Ienam, vbi uti A. 1594. Magister creatus fuit, ita Hebraica publice docuit, Annoque 1650. Theologiae Doctor renunciatus est & eiusdem Professor. Spiritum efflavit d. 10. Jun. A. 1611.

Pretten

Pretten *Io. Raphael*, Numburgensis, *Medicinae Doctor & Archiater REGIO-ELECTORALIS SAXONICVS*, Alumnus fuit Gymnafii Schleusingensis A. 1681, & A. 1682., ipfiquae vita erepta est A. 1704. d. 11. Apr. in incendio in Polonia Petrovinae, ubi ipfe Rex tunc tendebat, exorto, & quo complures Nobiles & Ministri Regii hauriebantur.

Pretten *Christoph David*, Numburgensis, introductus in Gymnafium Schleusingense d. 13. Maii A. 1681. & anno aetatis 18. e Classe prima cum Parente, Ephoro Schleusingensi maxime reverendo, Numburgum regressus, Iuris studio incubuit, cumque inde ab A. 1689. militiae munia, ipsa imo sublimiora, virtute spectatissima obiisset, in praelio atrocissimo Hoechstadiensi d. 13. Aug. A. 1704. extinctus est, merens tunc temporis operamque belli nauans Hasso-Cassellano LEOPOLDO.

Sauerbrey *Fridericus Abraham*, Collega Gymnafii Schleusingensis *Tertius & Cantor figuralis*, natus A. 1645. d. 15. Mart. Themarae, A. 1639. d. 25. Aug. in Gymnafii dicti Classsem tertiam est introductus, & A. 1666. in Academiam Lipsiensem se contulit, hinc in Ienensem, & ex Ienensi iterum in Lipsiensem. A. 1669. d. 20. Dec. Suhlae constituebatur Cantor figuralis, A. 1677. Cantor Schleusingensis, A. 1680. Collega Tertius & Cantor simul figuralis seu superior. Diem habuit emortualem d. 14. Febr. A. 1688.

Schmuck

Schmuck *Vincentius*, S. Theologiae Doctor, Consistorialis, Pastor & Superintendens Lipsiensis, natus Smalcaldiae A. 1567. d. 17. Octobr. missus est Schleusingam in Gymnasium A. 1579. d. 6. Octobr. & A. 1585. Lipsiam in Academiam. Lipsiae A. 1586. factus est Philosophiae Baccalaureus, A. 1588. Magister A. 1589. Collega Scholae Nicolaitanae, A. 1591. eiusdem Scholae Conrector, A. 1592. Facultatis Philosophicae Assessor, A. 1593. Diaconus Nicolaitanus, A. 1594. Archi-Diaconus, A. 1602. Theologiae Baccalaureus, A. 1604. Theologiae Professor publicus, Pastor ad D. Nicolai & Consistorialis, A. 1605. Theologiae Licentiatus, A. 1606. Theologiae Doctor, A. 1607. Collegii Maioris Principum Collegiatus, Canonicus Cizensis & Bavaricae Nationis Senior, A. 1611. DecemVir Academiae, A. 1614. Canonicus Misenenfis, & A. 1617 Superintendens. Mortuus est A. 1628. d. 1. Febr.

Schmuck *Vilhelm*, Suhlanus, I. V. D. & Professor Lipsiensis, e Gymnasio Schleusingensi in Academiam discessit mense Martio A. 1593. & anno aetatis suae 59, nempe d. 25. Dec. A. 1634. inter viuos esse desiit.

Sittig *Valentinus*, Haereditarius in Dörrenberg & Osterau / Theologiae Doctor, Consiliarius Ecclesiasticus SAXO-MERSEBURGENSIS, Concionator Aulicus & Episcopes Superintendens, natus Schleusingae d. 22. Dec. A. 1630. e Gymnasio in Academiam Argentoratensem abiit A. 1648

vb

vbi & A. 1652. Magister creabatur, ex Academia hac ad Recturam Gymnafii VVormatiensis vocatus est A. 1656., ex Rectore fit Pastor Budiffae Lufatorum fecundarius, A. 1667. d. 24. Oct. Giefiae Doctor Theologiae creabatur. A. 1670. Merseburgum, vt Ecclefiaftes Aulicus, a confessionibus Ducalibus & Confiftorii Affeffor effer, translatus est, hisque muneribus accessit deinceps dicta Confiliarii Ecclefiaftici dignitas & Superintendentis. Obiit d. 8. Iul. A. 1705.

Stumpff *M. Iohannes, Pastor & Decanus Themarensis*, natus Meiningae d. 27. Oct. A. 1601, Meininga in Gymnafium Schleufingense, missus est A. 1614., hinc A. 1621. in Academiam Lipsiensem, & post in VVittebergensem, vbi A. 1625. Magister creabatur. A. 1626. Schleufingensis Gymnafii Collega quintus constitutus fuit, A. 1632. Pastor in Mentwerts & Wölfershausen / A. 1634. Pastor in Ellingshausen / A. 1636. Pastor in Züchfen & Neubrun / A. 1641. Pastor in Queienfeld / & A. 1648. Pastor & Decanus Themarensis. Mortuus est d. 17. Nov. A. 1671.

Trott *Io. Georgius, Medicinae Licentiatuſ & Praeſicus Schleufingensis*, natus erat Schleufingae A. 1637., A. 1656. in Academiam Argentoratensem concessit, post in Giefsensem & tandem in Ienensem, vbi etiam A. 1667. Licentiatuſ renunciatus fuit. Moriebatur Schleufingae d. 21. Aug. A. 1703.

1018 n.c

Pon Yd 5856, QK



ULB Halle

3

003 145 840







Yd
5856

